

AUXILIO NUMINIS DIVINI
DISSSERTATIO PHYSICA,
DE

MIRACULIS
AQV ARUM,

Quam

Adprobante AMPLISS: FAC: PHILOSOPH:
In Illustri Academiâ Aboënsi,

PRÆSIDE

Amplissimo ac Praclarissimo Viro

DN. M. PETRO HAHN,

Scientiæ Natur: Prof: Ord: celeberrimo,
Mæcenate ac Præceptore quovis ho-
noris & reverentiæ cultu ætatem
devenerando.

*Publico eruditorum examini, Exercitii gratia
submittit*

PETRUS JOANN: RING,
In Auditorio Maximo.

*Ad diem 11. Febr. An. M. DC. LXXXVIII.
Horis antemeridianis.*

Impr. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.

Reverendissimo in CHRISTO

Patri ac Domino,

**DN. ENEVALDO
SVENONIO, Q. G. A.**

S. S. Theologiæ Doctori longè
celeberrimo, hæctenus ejusdem
Facultatis Professori Primario,
nec non Ecclesiarum Aboën-
sium & Numensis Pastori dudum
meritissimo; ita jam Scaniæ & Ble-
kingiæ EPISCOPO eminentissimo,
Academiæ Carolinæ PRO-CANCEL-
LARIO magnifico, Ven. itidem Con-
sistorii Eccles: PRÆSIDI gravissimo,
Scholarumque per Diœcesin E-
PHORO amplissimo, Mæcenati ac Pa-
trono magno humilima mente
æternum suspiciendo.

PAX, GRA

Ut &
Pl. Rever. ac Praclarissimo Viro,

DN. M. PETRO PLATINO,
Ecclesiarum, quæ Deo in Ordbbele & Totfåß
colliguntur Pastori meritissimo, in Kongahä-
radh Præposito dignissimo gravissimoq; Patro-
no ac Promotori meo, pio animi obsequio
ætatem devenerando.

NEC NON

Fide & Prudentia maximè conspicuis

VIRIS:

DN. DIDERICO Ståhle/
Commeatum Regiæ arcis, quæ Holmiæ est,
Inspectori accuratissimo, Promotori ac Be-
nefactori multis nominibus colendo.

DN. JOANNI King / Curiæ
Carlshamb. Senatori æqvissimo, Patri ut
charissimo, ita omni filiali pietate æter-
num suspiciendo.

Venerabili & Doctissimo

DN. MAGNO Frostman/ prædi-
cæ civitatis Verbi Div: Ministro vigilantissi-
mo, Fautori & amico grata mente colendo.

DN. ALBERTO Holmer/
Mercatori ejusdem Civitatis accuratissimo,
Affini meo sincere honorando,

TIA, SALUS!



*Vareret forsam quisquã,
Et non sine causa, que
audacie aura impu-
lit me, ut Nomine Tuo
Magno, Reverendissi-
me Episcopo, exiles
hasce pagellas, nec tanto lumine dignas, illu-
strare auderem? ni excusationis clypeo tectus,
hoc telum propulsare possem, quod unicus
fermè ex credito tibi orbe ac commendata Di-
cecesi circa hoc scientiarum Palladium studiis
invigilo. Qui postquam inaudiverim, diem
istum Patrie mee verè niveum, verèq; faustum
illuxisse, qui Te ejus Episcopum longè dignissi-
mum denuntiavit, cepi mecum secretiori mentis
indagine pensitare, quomodo mihi occasio ei gra-
tulandi adfulgeret, quod fata eam jam be-
nignius respexerunt, Et ei Te tantum columen,
lumen*

lumen & fulcrum jure æquissimo censendum
concesserunt, cujus maxime ope atq; auxilio per
dumeta hæc semper bilarius se effert, & latiori
gemmarum partu turget, cæli illa planta, Ec-
clesia. Scilicet veneratur, loquitur ac miratur
non tantum Svecia, sed ut transmarinas etiam
terras verbo complectar, totus Christianus or-
bis, profunde Eruditionis famam, præclara
opera, divina Monumenta, & tot in posterum
victura scripta, quibus varias variorum o-
sorum hæreses vix in fomite præfocatas, sed
suas undiq; pestiferas ventilantes flammæ cõ-
pressisti, restinxisti. Puto per os res, non il-
los, qui laxatis tyrannidis suæ habenis, pusil-
lum Christi gregem oculis suis ad cædem de-
signant, & cruoris fluctibus cotidie obruunt,
sed hisce longe peiores, ipsos hæreticos, qui
simpliciorum mentes falso traditionum suarum
mangonio perstringere tentant. Hi ipsi, quam-
vis laudes Tuas prædicare nolunt, Eruditio-
nem tamen Tuam admirari coguntur, cum
te videant in ore, in animo omnium esse, no-
minisq; magnitudine orbem universum; diu-
turnitate autem famæ, vastam temporum
pro-

profunditatem equare; se vero eruditionis Tuæ quodam quasi fulmine percussos, veluti animalia quedam, amisso aculeo, torpentes jacere. Sed quid heic meus calamus? vereor vercle ne iste, his quasi nebulis, labores tuos silentio potius à me, quam verborum multitudine deprædicandos, obscuret magis quam illustret. Revertor ergo ad propositum. Et ut Tu Reverendissime Episcope, tennes has, quas tibi trado, rudi etsi adornatas Minerva, in devotum tamen animi pignus, pagellas, atquè adeo earum Auctorem in numerum eorum, qui tui favoris & gratiæ participes fieri discipiunt, solita tua benevolentia, suscipias, submissè oro atq; obtestor. De Cetero Deum Ter. Opt. Max. cernuus precor, ut Te Reverendissime Episcope, Sacrorum, Orbis iudicio, in patria nostra Præsidem summum saluum vegetumque in seros annos conservet, in Ecclesiæ DEI conservationem, rei literariæ emolumentum, Tui tuorumque gaudium decus & ornementum perenne!!!

Vestra

Vestra insuper, Promotores, Pa-
ter & fautores benignissimi,
in me collata beneficia, cum tanta
sint, ut ea absq; adiecta aliqua gratitudinis
nota commemorare mihi prorsus religio fuerit;
nescio sane quomodo stilum, ut animum me-
um tot beneficiis victum, ita eterno compen-
sandi studio obligatum, coram Vobis digne ex-
plicet, componam. Quippè qui dum grati-
tudinem meam in eo positam esse cogitem, ut
beneficia vestra, quibus me cumulatissime or-
nastis, verbis deprædicare contendam, sentio
ea & numero & magnitudine omnem meam
excedere loquendi potestatem, & estimari exi-
guum omne, quidquid sermone potest termi-
nari. Dum tamen ipsa re nihil aliud possum
prestare, permittet, ut spero, benignitatis ve-
stræ facilitas, me vel nubium mutuan grati-
tudinem emulari, quæ eodem, quod à Sole acce-
perunt lumine, plures in se Solis imagines de-
pingunt, ut à quo splendeant orbi demon-
strent. Hoc ego item facturus, Exercitium
hoc Academicum utut immaturum, Nomi-
nibus Vestris, Vestra jam supra m. morata gra-
tia

*ria fructus, Promotores, Pater & fau-
tores propensissimi, dicare dedicareq; vo-
lui & debui, satis gnarus, Vos omnes, sola mea
pietate, sola voluntate, sponte solere esse con-
tentos. Accipite proinde benigne hoc, quod
vobis offero, in debita observantia gratiq; ani-
mimi documentum, & si minus politum, scia-
tis neminem prima vice totam mentis calio-
ginem discutere, & sine fumo flamulam in-
genii accendere. Interea Valete Musarum
Fautores & deliciae! Vale Pater Cha-
rissime, Valete ceteri benefactores ho-
norandi, & singuli favete.*

Tuæ Reverendissimæ Amplitudinis.
&

Magn: Nom. Vestrorum.

*devotissimo Clienti
Observantissimo Cultori
& filio*

*PETRO RING,
Auctori & Resp.*



Æe est, mi Respondens,
illorum, qui sanas lite-
ras profitentur laus &
gloria, si eas materias eru-
ditis monstrant, quæ Aca-
demiis honorem, auctori

famam, ingeniis plausum atq̄ æstimationem
accelerant; quidquid extra hanc lineam
tentatur, illud vel puerile, vel adulterinum
manet, manebitq̄. Itaq̄; conatus Tuos
commendo omnibus sinceris judiciis,
quod de nobili argumento & genio aqua-
rum bene & experimentaliter scripseris.
Sane vero in ijs meditationibus quæ na-
turæ contemplationem spectant, si non
consensus & dissensus leges ponderantur,
de facili, collegiis eruditorum nos riden-
dos exponimus. Videbat *æternus rerum*
opifex, sine hoc elemento, quod ignium
furorem temperat; quod aëris spirabilem
substantiam rigat; quod terrarum arida
vegetat, non stare posse mundi machi-
nam. Etq̄; de causa, *suo spiritu* aquam
fecundam fecit; ex isto liquore sphaeram fa-
bricavit quæ circulo suo stellarum regiam
ambit: Illud necesse in plures globos mun-
di distributione exactissima divisit. Scili-
cet, quod *luna* dominium in humida ex-
erceat

ercean, *aquarum* est beneficium; Quod Planetæ reliqui solis ardorem mitigent, *aquarum* est beneficium; Quod in alto videamus iridum colores, nubium phasmata indeq; habeamus pluviarum succos, nivium vellera, & cæterarum meteorologicarum impressionum miracula, *aquarum* est beneficium; Quod cohæreant Terreni globi partes, non tam montium ex polo in polum directarum offaturæ, quam *aquarum* est beneficium. Quod vela dimittamus in omnes angulos orbis, *aquarum* est beneficium: Quod terrarum in fontibus, in thermis, in balneis sentiamus vim & operationem, *aquarum* est beneficium: quod tellus in suo stet vigore, plantas alat, animalia nutriat, metalla generet, gemmas formet, *aquarum*, *aquarum* inquam est beneficium. Lusus mirabilis fluidissimi elementi, dum oceano, maribus, annuum finuosis voluminibus, terras secat; dum viscera telluris penetrat; dum fluxus & refluxus perpetua agitatione *magnetem* universi conservat. Maeste hoc animo, candidissime Juvenum! de publico mereri: Et crede non ineptiis, non opinione, non larva stultitia: sed cordato pectore, sed vera sapientia, sed modestia & patientiæ symbolis exaltari & designari nomen eruditorum: Vale.

à Tuo D. ACHRELIO.

*Egregio Juveni, & ad altiora, quam
vulgo, tendenti,*

DN. PETRO RING,

Commilitoni & amico meo, cum ob ingenii
felicitatem, tum morum decentiam, singulari,
Disputationis hujus de *Miraculis Aquarum*
autori dexterrimo, *ἡδίστου*:



Conspice, quæ tellus convexo
pondere nutans
Perfert, & media parte lo-
cata manet;

Quæ vehit *aëri tractus* miracula inane,
Conspice; quid miri vel *polus* ipse
habet;

Forte stupent oculi: longe tamen *equo-
ra ponti,*

His majora ferunt commemoranda
tibi.

Perlege quæ scripsit decus & specta-
men alumni

RINGIUS, & disces *mira* fluentis
aquæ.

ANDR. WANOCHIUS,
Phil. pract. & Hist. P. Ord.

Χάρις νεανίσκε περιφανέσσι,
ΠΈΤΡΕ ΡΊΝΓ,
με ἀγαπήλῃ φίλε.

Κεχαρισμένη μοι ὦ φίλτατε νεανίσκε,
ἡ δήλωσις τῆς σπαρδαίας καὶ σωφρο-
σύνης σου, ἣν τάυτη τῆ σπαρδαία σε
ἐπιδεικνύεις. οἶδα γάρ ἐν τῷ τῷ ἐφθαρμέ-
νω αἰῶνι, καὶ τοῖς βλαβεροῖς τῆς νεότητος τρό-
ποις μικρὰς τειχάς εἶναι, τὴν σύνεσιν ἐν τῷ μαν-
θάνειν τὰ γράμματα, καὶ τῶν ἐκείνων τῶν τρέ-
πων σπαρδίῳ μιμημένως. ὥσπερ καλῶς ἤρξω
σὺ, ἔτω καὶ ποιῶν διατελέσης, εἰδὲ σεαυτὸν τοῖς
τῶν φαύλων ἀνθρώπων πολλῶν μὲν παλαιῶν
ὄντων παραδείγμασι καὶ ὁμιλίᾳ διαφθαρή-
ναι ἦς, ἵνα μικρὰ ὑπερον τῆ μὲν ἐκκλησία,
καὶ τῆ πολιτεία ὠφέλεια, τῆ δὲ πατρίδι καὶ
τοῖς φίλοις δόξα, τοῖς δὲ γοιῦσιν ἠδονὴ καὶ πα-
ραμυθία τυγχάνης. ἔρρωσο!

Φίλος σου

Νικόλαος ἐνευάλδης Σβηνόμιος.

P R Æ F A T I O .



Refari forsam juvabit, Candi-
de Lector, quanta natura
Majestas, quanta dignitas,
quantaq; ejus miracula in A-
gveo Regno elucet. Scilicet
offerunt se primò ea inter conspiciendi ipsi fon-
tes, qui quavis ex eo vulgares habeantur,
quod nemo tantopere ad opera nature caliget,
ut non eorum & ex iis deductorum fluvii-
orum sinuosis voluminibus radiantia sylva-
rum schemata & late patentes camporum pa-
radisos irrigatos emergere videat; eorum ta-
men origo in se verè nobilis est, & satis inventu
difficilis; quippe que ea est, ut libere dicam, quod
sentio, quam multi multorum experimentis
docti ductiq; frustra investigare tentarunt.
Fontium horum originem ulterius absq; aliquo
Oedipo insequi scio ipsas differentias aqua-
rum, ni aliàs eas heic nominare, ne dicam
ponderare vererer; Cum noverim ipsemet nulli-
bi mei premendi & arguendi occasionem aptio-
rem futurã Momo, querenti fortassis, ubi emi-
nent Lusitanæ atq; Hispaniæ admiranda Ther-
marum

marū prodigia? Ubi Gallie nominis ecelebritatē
aque medicatæ? Ubi Germanie fontium spectacu-
la? Ubi Hungarie mera ac vera miracula?
Ubi Italiae deliciae? Hetruria virtutes? Campa-
nia balnea? Sicilia miracula? Hæc enim sunt
ea nature opera quæ nusquam in hoc amplissi-
mo mundi theatro mirabiliora apparent. Fateor
vera esse ista omnia, ad eò ut ne quicquam verius
ab humano pectore queat erui: si tamen iste
Momo saniora consilia pati vellet, & clausis
aures, ne surdo fabulam narrarem, unica
exceptioni aperire, vix dubito, quin me statim
excusatum iret. Scilicet nec illum, nec me, nec
quemquã mortalium, omnium aquarum ista-
rum diversitatem posse complecti. Unde volui
etiam ego plerq; candida confessione omittere,
& nonnullis tantum, ad morem eorum, qui Or-
bem in tabella pingunt, non ut æquent, sed ut
representent, obiter enumerare potius quã re-
censere. Quid in re si forsitan ego adhuc prædicto
Momo suspectus, tanquam ille qui sua cause ser-
viret, atq; adeo indignus, cui fidem habeat, vide-
ar, adeat queso & audiat eos ipsos, quibus ope-
raticis hujus nature porta aperta, & claves
ad interiora rimanda penetralia concessæ fue-
rant,

vunt, mecum certe, si alias verum fateri velit,
dicet, omnium eorum unam vocem esse pari e-
missam consensu, quod aquarum earum varie-
tatem & multitudinem potius mirentur, quam
vimentur. Sed ut eò redeam, unde paulo ante
profectus sum; Claudit hujus mee, (si auderē
eloqui) dissertationis agmen, fluxus refluxusq̃
Oceani. Quem item considerans non sine cau-
sa in maximos admirationis raptus evehctus,
naturæ sagacitatem atq̃ industriam dignis e-
logiis decantet. Nam certè, si alias causarum
Naturalium ignarus fuerit; dū ita observa
nudari litora, pelago in se recedente, eademq̃
intra exiguum tempus operiri, credet cæca
quadam volutatione modo contrahi undas &
introrsum agi, modo erumpere & magno cursu
repetere sedem suam; cum tamen revera illæ
interim portionibus crescant & ad horam &
diem subeant, ampliores minoresq̃, prout illas
lunare sidus elicit, ad cuius maximè arbitri-
um Oceanum exundare, suo loco dicemus. Hæc
sunt ea quidem, quæ una cum capite primo de
aqua in genere (quod ceteris, ut in iis feliciori
pede progrederer, præmittere volui) tibi Cand.
Lect. primo sistere decrevi. Verum cum ea tam
multis

multis, ut dici solet. parasangis, intellectus mei
sphaeram exsuperare deprehendi, fateor me diu
obstupuisse, Et ad variarum cogitationum comitia,
num opus tam arduum, tamque multis difficul-
tatibus involutum aggredi auderem, expendisse.
in quibus ut meam tenuitatem antea satis superque
perspectam cognoverim, hastam abjiciendo pe-
dem ferme referre cogitasset, ni me sic stupidum
Et incogitantem consilii ad fiduciam iterum, Prae-
cellentissimi Dn. Praefidis nunquam a me satis
decantatus favor crexisset, qui solus mihi au-
ctor extitit, ut omnibus illis, Et maxime mor-
sibus improborum probrisque criticorum, quae me
a proposito possent deterrere, spretis, ingenii
vires periclitarer. Nam ergo ultimò nihil aliud
restat, nisi ut hunc meum conatum, pro tuo can-
dore Cand. Lect. candidè interpreteris, Et si
cubi deviaverim, in viam rectam deducas.
Sic invidorum vel potius nigrorum nigroque sti-
gmate taxandorum hominum fremitum, pa-
tientissime feram. Quippe, qui ut cum fastu
ambulant, in mores inquirunt, de vita judi-
cant, in aliis desiderant, quod ne quidem ipsi
habent, ita nec unquam aliquid reperire pos-
sunt, quod non aut Theonino dente arrodant,
aut nigro contumelia sarcasmate conspuant.
Vale!

CUM

CUM DEO!

CAP. I.

Etymologiam Aquæ primò breviter investigabit, definitionem deinceps realem paulo fusius explicabit.

§. I.



Um dudum citra pulveris
jactum comprobatum sit,
profundiorẽ cujusq; rei
Evolutionem, ab ipsa vocis

Originatione, juxta sequentia virorum
ut antiquissimæ gentis, ita sapientissi-
mæ mentis apophtegmata, proficisci.

Αρχὴ τῆς παιδείσεως, ἢ τῶν ὀνομάτων Ἐπί-
σκεψις, Idem Epictetus πρὸς τὸ ὀρθῶς δι-
δάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν, τὰ ὀνόματα.

Inde Plato in Cratylo. Ὄνοματ' ὀρ-
θότης ἐστὶν ἣτις εὐδείζεται; ὅσον δεῖ τὸ πρᾶ-
γμα.

Placuit e iam nobis hanc semi-
tam, in hoc scientiarum Palladio, suo
non senio duntaxat; sed & usu veren-
dam ingredi, commemorando scilicet,
circa Etymologiam unicam saltem vel
alteram, brevitatis Causa sententiam.

A

Qua-

Quarum prima haud immerito salu-
 tatur illorum, qui Aquæ utilitatem
 perpetuo animo volutantes, quasi *sine*
qua esse non possumus, dictam autu-
 mant. Quam tamen veluti allusioni
 propiorem damnat Varro, deducens
 aquam ab æquitate, quod sit æqua; Cui
 etiam sententiæ subscripsit Freigius
 lib. 2. hydrographiæ pag. 437. Marti-
 nius ceterorum judicia respuēs, aliundè
 originem ejus in lex: suo philologico
 trahit; Nempe ab ago, quod sit in per-
 petuo actu, vel motu, seu quod facile
 agatur. Coldingio in S: etymol. dicitur
 ab antiquo *ἀξα* ejusdem significa-
 tionis, cujus vestigia apparent in vo-
 ce *ἀκελῆς* amnis, fluvius. Quænam jam
 ex his allatis opinionibus, cum omnes
 ferme & præcipuè posteriores ad u-
 num veluti veritatis centrum conflu-
 ere videantur, tanquam genuina ma-
 xime erit arripienda, dictu difficilior
 est. Nobis equidem, si nostrum quis,
 desideret iudicium, arridet illa ultimo
 loco posita, cum & ea ab auctore ipso
 com.

commendetur & in scriptis Philosophorum passim recepta inveniatur. Pari ratione exigent justæ methodi leges, ut Hymonymiam, seu diversarum acceptionum sequestrationem, cum Evolutione Sononymiæ, pari passu prosequeremur. Sed cum vocabulum Aquæ, ut taceamus Synonymiam, in cuius scrupulosiori discussione nec anxii hæremus, majoribus difficultatis labyrinthis vel ambiguitatis involucris ac tricis sit involutum, quam quivjs ex iis se facile possit extricare, ac evellere, haud absq; certo consilio eam in præfenti brevitatis ergo omisimus. Animum proinde cum calamo mox ad definitionem realem, quam nobis exhibet talem Exc. Sperling. convertere volumus. *Aqua est Elementum crassum & grave frigidissimum ac hum. diffinimum, unum cum terra constituens globum.*

§. II.

Ne nos in scientiæ hujus naturalis horti, innumeris florum areolis distincti, odoriferis telluris astris &

præclaris naturæ monilibus nitentis li-
 mine constituti confestim in progres-
 su a vera via declinemus, e re maxi-
 mē esse videtur, ut tramitem illum,
 quem nobis duplicem pandunt logici
generis scilicet & differentie, ab aliis vero
conceptus convenientie & disconvenientie
 (quamvis paulo latius) nuncupatum,
 ingrediamur. Quorum primum heic in
 frontispicio nostrarum linearum in-
 quirere, non tam operosum est, cum
 primo intuitu facile pateat eum con-
 stituere Elementum; & hunc genuinum
 esse, eo ipso satis evincitur, quod non
 tantum aquæ, sed ceteris etiam tri-
 bus Elementis, aeri, terræ, igni tan-
 quam sibi subjectis speciebus compe-
 tat. Ad posteriorem vero, quod atti-
 net, tum fatemur, quod nostrarum qui-
 dem partium esset, ipsam formam a-
 quæ intentiori cura inquirere, & exin-
 de eum in litem protrahere, sed cum
 nullas, præter hominis formam, mor-
 talibus cognoscere sit datum, consili-
 um capiemus in arena, faciendo non
 quod

quod debemus, sed quod valemus, sicque ex affectionibus & proprietatibus, quæ heic vices subeunt formæ, eum declarare tentabimus. Et cum circa harum, præcipue vero humiditatis & frigiditatis tractationem, ex diversis opinionum monstris & philosophorum commentis, quorum fæce purum veritatis liquorem haud parum corrumpunt, major occurrat difficultas, operæ pretium erit paulo altius repetere, quam lubrico fundamento placita ista sua superstruunt; *Totum deinde opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapsa, sequitur, dicente Historico.* Priusquam vero ad eas accedamus, paucis priores ab adversariis non tam vexatæ, discutendæ veniunt. Quas inter primas tenet *Crassities*, quam Experientia & sensuum judicia non absolutam sed respectivam faciunt; quippe quæ, ut ære perpetuo isto internuntio inter cœlestia ac terrestria, qui transitum præbet hominibus ambulatibus, & avium chasma-

chalmatibus circumvolantibus, crassior est; ita terra, quæ suis librata ponderibus, in medio Universi hæret, subtilior est. Hæc namque variis de causis, quas in posterum, Deo Volente, inferere occasio dabitur, huc atque illuc agitur, ceditque piscibus natantibus, piscatoribus navigantibus, juxta illud Psalmistæ: *Heic naves ambulant & Baleena, quam tu Domine formasti ad ludendum in ea.* Illa verò immobilis omni hæret ævo, & ita divinæ virtutis efficacia confirmata, ut nullum sit tantæ potentiæ robur, nulla tanta furientium ventorum rabies, nullus maris, fluctuumque tumultuantium impetus tantus sit, ut eam vel hilum ne dicam à sede sua dimovere valeat. *Gravitas* deinde insequitur, quam itidem respectivam, haud magna argumentorum densitate comprobamus, cum ipsius *Experientiæ* lapide lydeo usque adeo sit probata, ut qui ejus evidentiam non videat, haud immerito cerebrum in Calcaneo gestare & oculos cum Parthenio clausos ha-

sos habere censeatur. Effunde namque aquam, per sentisces eam non morari sed extemplo terram petere. Idem deprehendes in aqua, cui si terræ glebam immittas, videbis eam ei non innatare, sed confestim ipsum fundam spectare. Quæ quamvis ita sint, levis tamen ratio contrarium suspicandi præsto est, quod Aqua per omnes mundi angulos feratur, & non tam deorsum quam potius in gyrum & orbem discurrat & divagetur, quod gravitatis vel nullum vel certè exiguum iudicium est. Sed ut ut hæc se habeant, uno tantum Scaligeri distinctionis temperamento possunt occurrere, quo dicit aquæ pererrationem non solum fieri ratione gravitatis, sed ratione commoditatis & usus animantium. Ubi ne ejus verba silentii peplo involvamus, quæ primo Exerc. 41. habentur, hæc sunt. *Duplex motus finis est in fluviis. Hic quem dicimus conservationis: alter nostri causa: pererrant enim terrarum tractus, quo sint usus pluribus &c. quod e-*

tiam deinde aliis verbis Exerc. 100. pag. 1. haud obscure innuit dicens: *aqua cursum partim temerè ferri, ubi sibi spatium invenit: quæ suum ad locum devenire contendit; partim ad usum animalium. Cujus rei gratia fluviorum decursiones, anfractus, flexiones comparavit Natura.* Ulterius adhuc sese heic noster diffunderet calamus, quomodo aqua quamvis sit gravis, variis de causis (quas inferius expositas videbis) pressa, per canales Telluri à Natura insertos in altissima montium cacumina exaltetur & elevetur, sed cum peculiarem hac de re, sequenti capite dare decrevimus paragraphum, reserventur etiam ei loco.

§. III.

Breviter ergo sic his præsuppositis, nunc exigente ordinis connexionem manus ad tertium proprium aquæ, ut constat ex data definitione, *humiditatem absolute* accingimus. Et antequam vix unum verbum dicamus statim præsentem audimus cohortem *Perripate-*

ripateticam nobis obmurmuranti sequenti argumento: *Aquâ à fonte & principio caloris non est remotissima E. nec frigidissima.* Colorem ni fallor & fundamentum subsumptioni quærit exinde, *quia terra sit remotior.* Hæc iam est prima ejus ratio, qua contra Veritatis torrentem, sensuum testimonia & experientiae dictamina nititur. Ut vero nos primo fontem, ex quo impurus hic erroris rivulus, quo dicit id quod remotissimum est, frigidius, & per consequentiam illud quod propius est, calidius esse, prodeat, inquiramus, deprehendimus eum inde provenire, quod iusta æstimatione nec solis, nec ignis pensitat naturam. Ignem operari in *adstans*, non vero in *distans* ignorare vult; quamvis id antea assensu excepit, sed ad distanissima se siderum calor extendit. Unde tutissime ad ductum Clar. Sperl. tam Institut. quam Exercit. ejus, variis in locis datum, & firmissimis rationum momentis confirmatum, statuimus, solem & cetera

quæ dicuntur calida astra non *πάθη-
τικῶς* sed *ἐνεργητικῶς*, h.e. non *affectivè* &
formaliter; sed *effectivè* saltim & *virtua-
liter* calida esse. Ita ut nullus calor sit
in illis, sed tantum ab illis: Nam si in illis
daretur & illum ad nos diffunderent,
haberetur accidens reale extra suum
subjectum, quod non dum sanior per-
misit philosophia, sed rectius dicimus
ab illis, è terra (ubi tamen eam non ra-
tione essentiaè, cum sic sit frigida, &
nullas in se contineat atomos igneas,
sed ratione existentiaè, prout variis cor-
poribus sit referta, consideramus) ex-
trahi effluvia ignea, quæ per totum aerẽ
diffusa reddunt eum calidum. Hinc spe-
cula ustoria ope radiorum formantur,
hinc sagittæ per aerem missæ incalef-
cunt, hinc sonantes incendiis sylvæ in
cineres atq; favillas redactæ fuerunt.
Quæ cum sic se habeant non tantope-
re miramur mediam aeris regionem,
cum ad eam sese non extendant igni-
culi e terra extracti, quamvis fonti
caloris (ut dicit,) sit propior, hac tamen
nostra-

nostrate esse frigidiorē. Quod vel nobis tacentibus satis superq̄ idoneis auctoribus vulgata eorum experientia confirmavit, qui tempore æstivali montes istos altissimos, perenni obritos nive, & perpetuo rigentes gelu utpote Alpes & alios quosvis tam in Europa, quam ceteris Orbis terrarum partibus peragrarunt; ubi se tanta vehementia frigoris pressos fuisse uno ore confitentur, ut vix inde sine vitæ periculo discedere potuerint. Quamvis nec per omniâ subscribimus huic sententiæ, qua dicit terram esse aqua remotiorē; nam nos sane cogitatione haud possumus assequi, quomodo terra sit remotior, & diversam obtineat distantiam, cum notius sit, quam ut dici mereatur terram & aquam unum petere centrū, unumq̄ absolvere globum. Et ratio hujus rei maxime est evidens. Nam si terræ, infra superficiem maris collocaretur, sequeretur præter illud, flumina ad mare deflectere & ad suæ originis locum

locum reverti non possent, quod mare universam Telluris molem illuvione sua absorberet; quippe cum aquæ partes se mutuo impellant, & quæ superiores sunt humiliores propulsent, necessario tegeretur illico tota terræ facies, ut sic nullæ amplius in mari insulæ, in terra montes conspicui forent, sed aqua undiquaq; diffusa rerum aliarum conspectum tolleret. Præter hæc, dispalescit etiam hinc inde haud exiguus error, quod ex remotione judicat frigus & entis positivi dat causam privativam. Contrarium præeunte sperl. argumento quodam discursui Syllogistico incluso demonstratum ire possumus. *Quod nullum ens Positivum pro causa prima & præcipua privationem habet, frigus est ens positivum* E. major tanto veritatis jubare radiat, ut nullus dummodo pro cerebro fungum non habeat, eam in dubium vocet. *Quia ens privativum quatale positivi causa esse nequeat.* Unde per ora per plurimorum philosophorum volitat.

litat. *Quod non potest a causa privativa prodire effectus positivus sine ulla causa positiva.* Minor fatis clucescit, quia frigus sentitur, ergo omnino est aliquid. Et sane nobis vix imaginamur aliquem adeo omni sensuum & rationis satellitio esse destitutum, ut audeat dicere frigus non sentiri, cum hoc fatis evincat ipsa testis temporum & lux veritatis Experientia. Cetera relinquentes unum tantum fatis insigne adducimus Exemplum, quod nobis subministrat Historicus de Alexandri istius (Cui tam grande nomen de orbe terrarum decreverant fata) militibus, qui in solitudine quadam constituti inter alia quæque malorum tolerarunt, frigore etiam tanto premebantur, ut primo pedes adufferit, deinde fatigati corpora deficientia in ipso gelu sternebant, quæ cum moveri desissent vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum conniti non possent. Nec ignorant (ut paulo latius exspatiamur) hanc frigoris potentiam trans-

transmarinæ terræ, alienique, & præcipuè Hollandici litoris homines de-prædicare; qui a nova Zembla redeuntes, ob intolerabilem ejus vim, nunquam fere pristinæ sanitati restituntur. Jam discedatur mentione vehementis frigoris heic apud nos tempore interdum brumali, quo tantopere sævit, ut onera gestantium manus eis adhærentes deciderint. Quibus omnibus sic sublatis, accedimus propius ad eorum sententiam, qui frigiditatem qualitatibus Elementaribus annumerant, ejusque *subjeetum*, & quidem *quod* faciunt aquam. Quod cum à veritate laurum promereat, nulla, necdicam probabili ratione, hanc, è distantia solis, & ceterorum radiantium astrorum, deducunt. Nisi forsan hoc modo etiam volunt ignem intra terræ alveos vagantem, cum tam procul à fonte caloris absit, frigiditate tingi.

§. IV.

His iam ita stantibus & nullis eorum à tergo, quæ cursum nostrum morari possunt

possunt, relictis, destinata exequi pergi-
 mus, & ad quartum proprium, aquæ,
 quod itidem est *humiditas absolute* accessum
 facimus. Ubi in primordio non tam mul-
 tum ratiocinationibus, quam sensu, cum
 hac in re nobis tam securus sit arbiter,
 juxta Canonem: sensum dimittere in
 iis, quæ sensibus sunt manifesta & ra-
 tionem quærere infirmitas intellectus
 est, erit agendum. Hinc merito etiam
 illud Galeni lib. 2. de, Temp. & lib.
 1. Cap. 8. de facult: simplic: notamus
 effatum: *Stuporis est ad qualitates Ele-
 mentorum cognoscendas certiore sensibus ipsa
 judicem adhibere, quamvis demonstratio sit per-
 spicua.* Cum igitur tactus satis probet
 aquam humidissimam esse, non est quod
 sana mens hac dere dubitet. Inveniun-
 tur tamen, jam ut antea, nonnulli (ut
 sunt quorundam mortalium ingenia,
 quæ naturæ opera luce quamvis meri-
 diana clariora commentariorum suo-
 rum sylvis quasi nebulis obscurare fa-
 tagunt) qui nobis sub hoc Veritatis
 Phœ-

Phœbo secure qui escentibus molestiam creare laborant, fingentes aerem esse humidiores aqua, tanquam sensus homini concessi, quibus intellectus humanus suis quasi remigiis subvectus in rerū naturalium notitiam penetrare potest, circa proprium objectū errarent. Quod ut ulterius refutandi occasio detur, dabimus primo, ne juxta proverbium: Tela non prævisa magis noceant, in conspectum, objectiones eas, quibus hanc suam pravam sententiam tanquam fulcris & pedamentis statumina-re contendunt. Quarum prima hæc est, *quod aeri competat maxima humiditatis definitio, E. est humidissimus.* Probationis telam nectunt filis definitionis humiditatis, *Quod difficulter suo termino facile alieno sit terminabilis.* Sed quam insolens ac inconsequens sit hæc eorum argumentatio, nemini non obvium esse putamus. Primo antequam latius excurramus, remoto omni peristromate penitus intueri placet maximam illam contradictionem, qua se implicant, & propria

proprio jugulant gladio, dū alibi (quamvis & hoc perperam) dicunt aerem esse ficcum, & ita quidem, ut aeris substantiæ insit illa ficitas, ex alteratione prognata, quæ item maxima est tum imprimis, cum integra exsiccantur flumina, & quidquid in terrarum superficie extat, fit aridum, heic vero, ut probe satis notavit Sperling. clamitare non verentur, eum esse summe humidum; Quomodo hæc coherent cogitatione vix possumus assequi, Nam nobis pro certo, adeo ut ne minima dubitationis nebula sit relicta, imaginamur, illud, quo aer sæpe destituitur, nec ad ejus definitionem, nec ad proprietates spectare, Ut vero rem altius tangamus videtur hæc lis ortum suum debere falsæ definitioni humiditatis, quod arbitrantur *eam proprio difficile terminari termino, alieno vero facile.* Quasi vero hæc non esset obscura. Solent quidem accurati definitionis artifices omni molimine ac nisu anniti, ut virtus ea definitionis

B

perspi-

Perspicuitasubique & per omnia mem-
 bra eluceat, sed nulla herclè alia mi-
 nus, quam hac splendescit hæc defini-
 tio. Operationes proprias utpote hu-
 mectare, emollire, fluida corpora red-
 dere, excludit, spurias vero ac obscu-
 ras, ad speciem veri plena manu infar-
 cit, quæ si ad veritatis apicem acce-
 derent, sequeretur exinde, præter alia
 absurda, quod ignis foret humidissi-
 mus, cum tam difficulter propriis ter-
 minis, facile alienis sit terminabilis.
 Unde invictum ratiocinium necit suis
 Inst. Excel. Sperl. *Quod ea definitio, quæ
 ponenda omittit & omittenda ponit, vitiosa
 est & per consequens corrigenda. At hæc
 talis est. E. Ratio & vis consequen-
 tiæ partim inclarescit ex prioribus,
 partim ex sequentibus, quod defini-
 tio non debeat mentionem facere
 eorum, quæ per accidenstantum com-
 petunt aeri, nec eorum, quæ Commu-
 nia sunt cum aliis. Aër enim cum
 sit humidus, tum non est ratione
 sui, sed ratione aliorum corpo-
 rum*

rum, quæ ej interdum per accidens in-
 hærent. E communi item, ut dictum est,
 definitur, quod itidem in definitioni-
 bus formandis perquam vitiosum est.
 Nam quod res difficulter suis termi-
 nis Continetur, promanat, ut ait Clar.
 Wendel, non à sola humiditate, sed & nimia
 tenuitate & subtilitate: Ita videmus ignem
 suis terminis difficulter, facile alienis conti-
 neri, non propter humiditatem, quam hosti-
 liter prosequitur, sed propter tenuitatem ac
 subtilitatem. Plures ejusdem farinae ob-
 jectiones videre qui placet, adeat Sperl.
 Instit. lib. 4. pag. 552. Et Exerc. pag.
 405. cum sequentibus evolvat; dabitur
 etiam fortassis in ipsa συζητήσῃ de iis
 disquirendi occasio.

§. VI.

Loci aquæ tractationem ne sicco,
 quod ajunt, pede omnino prætereā-
 mus, placet dictum S. paginae, quod
 facile heic in nostram rem vertitur,
 adducere. Ex quo patet, aquam pri-
 mo ac secundo creationis die, totam
 terræ faciem inundasse, postmodum

vero tertio die, ad mandatum & nutum Creatoris, in destinatos alveos, ita tamen, ut unum cum terra constitueret globum, congregatam fuisse. Quæ hisce verbis divina ac cœlesti quadam aura circumfusus Moses, expressit: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in unum locum, appareatq; arida, Et fuit ita, vocavitque Deus terram, congregationem vero aquarum, mare, & vidit Deus, quod esset bonum.* Hoc voluit Creator, multorum viventium ortum, si tecta aquis fuisset terra, impediri perpensens. Nam alias nulla arida marisque discretio apparuisset, sed unius fluentis alveo continerentur omnia; Non tum scaturigines & lacus, non fontes cum voluptate fluentes terram distingverent, sed immanibus undis demergerentur Univerfa; Non germinum species & arborum flores, non urbes, non planities, non montium vertices emerent, sed omnia communi operta fuissent sepulcro.

§. VII.

Definitionem excipit divisio, quam aqua prout consideratur ratione *ἑσίας* & essentiae nullatenus admittit, ratione vero *ὑπέρθεως* & existentiae plurimas habet. Cui etiam fundamento nos hanc superstruximus divisionem. Nam ut nullum Elementum prout iam existit in mundo sit purum, ita nec aqua, sed variorum heterogeneorum corpusculis confusa, quæ tamen confusio, ut modo diximus, ej non est essentialis (quam omnino respuunt omnia Elementa, cum sint corpora quædam simplicia sed saltem accidentalis. Quod ulterius probare, ex inductione singulorum Elementorum, in proparulo est. Quippe si primo ad aeris regiones nos convertamus, arguunt satis impuritatem earum diversa illa meteororum phasmata, quæ nunc in hac, nunc in illa apparent. Et hisce posthabitis videmus cotidie è terra & aqua assurgere vapores, fumos & atomos, quæ aerem inficiunt & afficiunt. Ab aère vero ad terram ocu-

lorum aciem devolventes, deprehendimus tantam ejus esse impuritatem, ut quanta ea sit, cuivis obvium esse putemus. Ea enim est quæ in se continet diversa illa Aerophylacia, Pyrophylacia, & Hydrophylacia, è quibus varii spiritus in interioris œconomiae scatebris discurrentes ruunt; quos quamvis adeo ejus conjunctos esse cernimus, & tam rigidè suæ jurisdictionis territoria contra communem naturæ hostem tueri, ut ab ea separari ac avelli nequeant, minimè tamen ejus sunt naturales, sed accessorii tantum aliisque corporibus debiti. Metallorum proporro hospitium est, & aliorum infinitorum seminum mater ac Custos, quod satis declarant æstivo tempore, efflorescentes naturæ thesauri, nectareæ plantarum divitiæ, & rosea agrorum gaza. De igne non est quod quicquam dicamus, cum ejus tanta & sit, & fuerit, impuritas, ut à nonnullis Philosophorum, num sit Elementum, dubitationis aleæ subjectum

sive

fuerit. Aqua' jam restat, quam itidem puram dicere, prohibent varii isti colores, sapes magnaq; ejus varietas, quæ non aliunde, quam ex admistione aliorum per plurimorum corporum, promanat. Quod haud obscure innuimus etiam circa finem parag. V. cap. sequentis. Quibus Ergo sic dictis, dividimus aquam eodem modo, quo cetera Elementa, ratione scilicet puritatis & impuritatis, in Mare, (quod diversas denominationes, ratione variarum regionum, quas alluit sortitur,) Fluvium, Torrentem, Rivum. Amnem, Fontem, Lacum, paludem &c. quarum definitiones cum brevitatis Causa non apponamus, remittimus ad alia prope- rantes, Candidum lectorem ad prædicti Sperling. Inst. phys. l. 4. & pag. n. 568. Ubi uberem satis earum explanationem inveniat.

C A P. II.

Originem Fontium, post eliminatas spurias varias variorum Auctorum de eadem sententias, quodammodo representabit.

Aqua naturalem cursum exposcens, saxis impedita crebro reverberatur dicit Historicus, ita nobis animo volutantibus, recta procedere, & calamum convertere ad rimandam genuinam originem fontium, multa repagula, quæ aciem intentionis abrumpunt, occurrunt. Quæ inter primo eminent somnia verius quam sententiæ Aristotelis, in quem tamen verbis durioribus debacchari nolumus, cum ex parte possit excusari, quod intellectum habuerit tenebris obscuratum, & ad faculam Verbi Divini caligantem, atq; hoc modo ex rationis suæ dictamine, excusso plenius acuminis eius examine, omnia, quæ dixit, dixerit. Rationibus potius rationes convellere atq; subvertere cogitantes aggredimur extemplo ipsa ejus argumenta, quibus fontes & flumina è mari provenire inficias ivit. Quorum agmen ducit hoc, quod vult dici firmissimum, quo dicit se ratione percipere non posse, *quomodo è mari tantam*

tantam altitudinem, quanta est montium vertex, possit ascendere aqua, 2. Mare tot fluminibus non sufficeret, cum maxima pars aquarum solis calore evanescat. 3. flumina nunquam deficerent, sicut nec deficit ipsum Mare. 4. Vix est verisimile, quod etiam tantum pura reddatur ab omni salsedine. Hæc sunt palmaria argumenta, quibus flumina ac fontes mari originem suam debere, pertinaci acclamatione negavit. Quæque cum immotæ veritatis esse dixerit, conclusionem formavit, aquam ex aere in profundissimis globi terreni thalamis, beneficio frigoris generari & in unum locum guttatim capaciore ferri, donec accessione facta, in loco aliquo opportuno erumpat; Et perpetuo durantibus causis materialibus, perpetuo etiam durat effectus. Quod ulterius exinde corroborare allaboravit, quod aeris naturæ id sit conveniens, Cum enim caliditatem & humiditatem in se contineat, amittit eam, sicq; cum aqua convenit, & facile in eam convertitur. Hæc jam fuit, eius opinio

quam per plurimi è vulgo amplectuntur, qui Antesignani presse sequuntur vestigia, & non pergunt qua eundum, sed qua itur, haud examinantes inculcata, dum Magistro creduli, satis habent in ejus verba jurare. Seneca nec feliciter in hisce desudans maxime ad hunc modum qu. s. Nat. l. 3. cap. II. & 12. disserit. *Placet nobis terram esse mutabilem. Hæc quoque quidquid efflavit, quia aëre libero concipitur, crassescit & protinus in humorem convertitur. Habes primam aquarum sub terra nascentium causam. Aditias etiam licet, quod fiant omnia ex omnibus. Ex aqua aër. Ex aëre aqua. Ignis ex aëre, aër ex igne. Quare ergo terra non fiat ex aqua, & ex terra aqua? que si in alia mutabilis est, & in aquam: imo maxime in hanc &c.* Demum prorumpunt illi, qui aquis pluvialibus & nivibus liquefactis originem & perpetuitatem fontium adsignant, existimantes eas terrarum finibus exceptas, invento meatu, effluere, & in amnes, fontes, fluvios formari, sed de his plura in posterum.

§. II.

Nos vero, ut ab hac Aristotelis, Senecæ, & aliorum philosophorum, perperam tamē censentium, placidis sententiis divortium faciamus, invitat *Primò* S. pagina dictum, inferius Deo adgubernante, adducendum. Contra quod licet quidam excipiant nimis curiosi, qui S, S, philosophiæ ereptam volunt, quibus tamen suis placitis nullum firmam addunt rationem. Nam sicut Deus naturæ autor eidem non est contrarius, ita nec ipsius verbum, ulli est contrarium contrarietate vera. Deinde optandum sane omnique voto expetendum esset, nostros sensus ita vigere, nostrumque intellectum tam sagacem esse, ut omnia naturæ opera â priori, vel posteriori, h. e. per causas, vel per effecta, cognoscere possent, sed cum & quædam tanta obscuritate sensibus nostris ipsa Natura vallaverit, & ratio etiam tantis tenebris; juxta illud Scalligeri *in luce rerum tenui caligamus; in modo*
decri

diocri cecutimus, in majori caci sumus, in maxima insanimus, sit circumsepta, ut ad hunc scopum, quem alias vellent, nō possint collimare, è re maximè est, ut saniorum amplectamur consilia, & non ad lucernam gentilium, sed faculam cœlestem philosophemur. Sed ut redeam, stimulat *Secundo* unanimis saniorum philosophorum nostræ sententiæ faventium, & calculum addentium candidiorem consensus ac approbatio, qui vel rei veritate commoti, vel quibus alias mitiores cœli phosphori illuxerunt, ut pleniori sacrarum literarum luce collustrati posteritati hac de re suam sententiam reliquerunt. *Tertio* ac ultimò accedunt sensus ac ratio, quæ cura ceteris, *Thesin* nostram tam confirmatum eunt, ut nemo, nisi forsan insensatæ mentis inveniatur, qui eam assensu non excipiat. Habemus enim S. S. dictum non ab humani cerebri utpotè Aristotelis, Platonis & aliorum philosophorum, germana Eruditionis claritudine destitutorum, lacunis hau-
stum

stum, sed quod ab altissima fluit sapi-
 entia, *Omnia flumina inrant in mare & non
 mare redundat, ad locum, unde exeunt reven-
 tuntur, ut rursus redeant.* Formavit nam-
 que Altissimus [mirabili quodam con-
 silio totum hoc Geocosmifystema, ad
 analogiam ac similitudinem Corporis
 humani. Utq[ue] hujus solidamenta, quæ
 ossa dicuntur, invicem nervis alligavit
 atq[ue] constrinxit, visceribus præterea o-
 peruit, & his venas admiscuit, quasi rivos
 per totum Corpus diffusos, per quos di-
 scurrens humor ac sanguis univertia
 membra succis vitalibus irrigaret: Et
 viscera eum in modum formavit, ut
 quid unicuiq[ue] generi aptum fuerit,
 superiecta pelle contexuit: quam sola
 pulchritudine decoravit, adoperuit, ad-
 ornavit. Nam quid loquar fabricæ ejus
 concinnitatem? quid solertem naturæ
 in ejus structura solertiam? quid domus
 hujus columnas? quid concamerata
 involucra? quid atria? quid thalamos?
 quid sinus? quid arteriolarum inex-
 plicabi-

plicabiles fermè mæandros, & quasi labyrintheos flexus? adeò sanè hocce mirandum, ut cum vetustissimo Zoroastre jure meritoq; exclamemus, O homo audacis naturæ miraculum! Sed quanta hoc admiratione suspensi perpendamus, tanta quoque totum Geocosmum pensiculare debemus. Nam ut Parens natura in eo conclusit varios nervos, venarum ductus, muscolorum cartilaginumque fibras, ut per eas membra mutua sibi digestorum humorum reciproca communicatione auxilio esse queant. Ita hanc universam Geocosmi fabricam innumeris cavernis, subterraneis incilibus, subtilissimis rimis, fissuris, syphonibus, meatibus, atque variis ductibus, non tantum quoad externam telluris superficiem, sed & interiorem, imò & ipsum maris ac Oceani fundum ita pertusum ac excavatum esse voluit, ut per illos facilius occulta sua negotiationis commercia possint invicem exercere Elementa. Et quidem primo huc respexisse

xiste videtur natura, ut in humani corporis fabrica, ramosa venarum substantia, per omnia microcosmicæ œconomix penetralia ita distenditur, ut non sit minima particula, quæ per capillares venas sanguinem non habeat; ita nec in interioribus Megacosmi visceribus debent ea inveniri, quæ non debito humore abundant. Quod etiam patet. Quippe sicut in corpore humano, in fluctu quocunque loco vulnere statim sanguis erumpit, vel ad agitationem quandam ita effervesceat, ut ab interioribus partibus ad exteriores provocatur sudor, qui ex porosæ cutis substantia expellitur; sic vix locus habetur in terra, qui prævia fossione non abundantes præbet aquarum latices, qui alias tramitem suum tenentes, per occultos cuniculos, intra montium vastissimos specus, vi aquarum subsequen-
tium impulsu, in fontes, fluvios, amnes erumperent. Et sicut immensum maris pelagus (inde enim divertit noster discursus) hujus universitatis moderato-

rator sapientissimus ita disposuit, ut per occultos & à natura insitos Oceani fundi meatus ac ductuum tubos, in universi terreni corporis venas, indeficientem aquarum copiam diffunderet, ita ejusdem sapientia constitutos videmus perennes subsistentis ignis caminos & perpetuos æstuariorum promoscondos, ex quibus huc atque illuc intra terræ viscera discurrens ignis, per longissima veluti itinera & occultas meatuum semitas, miras alterationes in aquis è mari prodeuntibus efficiendo, quicquid naturæ proficuum est, intendit. Ad quæ demum accedit aër, qui intra sua aerophylacia, cavernas, ac parietes vagans, turbinis instar circumrotatur, nunc sursum, nunc deorsum, aquam, per Oceani fundi Orificia insinuatus, pulmonibus quasi quatit, & nihil eorum, quæ ad promovenda naturæ molimina possunt spectare, negligit. Undeque fit ut horum motuum tumultuantium, & ventorum furientium flatibus, cum perpetuo fluxu refluxuq;

agita-

agitatum mare, terrestrem orbem undiquaque ferè circumfusum, aquam incredibili molis suæ pressura per prædictos meatuum syphones, poros ac abditos fundi mæandros in interiora regni terrestris baptisteria & deinde hydrophylacia montium naturali cursu diffundit atque expellit; ut hoc modo ad fontium ostia delata, inde in varios lacus, amnes ac flumina erumpat ac exundet. Fatemur quidem hoc & Aristoteli, & aliis quibusdam valde obscurum fuisse, aquam intra canales hos hydragogos stabulantem tam facile in altissimos montium promoscondos posse pervenire; Sed dum hi omnes, nobiscum altiori pectoris scrutinio ponderent, aquam per istos Canales elevandam, plane impotentem esse ad resistendum potentiori principio, quod aliud non est, dicente Athanasio Kirke-ro, quam aquarum æstuantium cumulus & ventorum vis premens, facile in nostram sententiam transibunt. Qua in re etiam vindicat nostras partes ex-

imie eximius iste Sperling. Suis Exc. p. n. 425. ubi dicit *Undam impellere undam, quæ cogitur ire eo, quò permittunt Canales, hinc nunc ad latera vergit, nunc tollitur in altum.* Nostræ insuper antea datæ sententiæ de aërophylaciis consentit autoritas professoris Præclar. Achrelii in Cont. mund. lib. III. pag. 106. *Existere aëris receptacula, è quibus aqua & ignis necessariam respirationem hauriunt, cavernæ aëreo Elemento refertæ evincunt, quæ eo sine videntur dispositæ, ut aer, per occultos meatus, in alia, sive ignis, sive aquæ receptacula, derivatus; in iis quidem aquarum molem per appropriatos canaliculos in alia receptacula elatam, in fontes ac flumina urgeat: in his vero latentem ignis fomitem perpetuo foveat & per sublimationis arcanum Tellurem in ultiores fines disponat.* Quæ ut verbo complectamur, apparet non minus in his, quam ceteris singularis sapientiæ divinæ dispositio, quæ per providã naturam sibi subjectam ministram fecit, ut quod spiritus vitales ac animales in humani corporis œconomia constitu-

ant;

ant, hoc in cosmica faceret ventorum spirituosam naturam, & quemadmodum iis evanescentibus homo diutius vivere nequeat, ita his sublatis Geocosmum perire necessum foret.

§. III.

His ita prælibatis, antequam ad cetera argumenta Aristotelis propiorem accessum faciamus intueri placet ingentem illam hallucinationem ac magnam absurditatem, qua infert substantiarum transmutationem, & naturarum convenientiam, quæ nunquam in rerum natura, nisi forsitan in cerebellis, hisce faventium dantur. Et admiramur certe Aristotelem tantum fungum pro cerebro habuisse, ut non potuerit, dum hanc ejus degenerem prolem promulgare tentaret, intelligere fontes fluminaque majora, utpote Danubium, Rhenum, Mosellam, Rodanum, præter innumerabiles minores amnes ac fluvios, in diversas mundi plagas, tum ad irrigandas regiones circumiacentes, tum ad utilitatem hominum

minum, navigationisque commodum,
 diffusos, qui perenni fluxu, nunquam
 vel à primordiis rerum huc usque
 cessarunt, nec dum hoc universum sta-
 bit, cessabunt, non ex conversione
 aëris in aquam, intra subterraneos
 montium alveos, provenire posse.
 Qvippe si vel totus aër in aquam
 resolverentur, tantæ ac tam con-
 tinuatæ aquarum moli sufficere non
 possent. Posito vero non tamen conces-
 so, neque in æternum concedendo, aë-
 rem in aquam posse converti, tum fa-
 cile exinde elucescit ejus absurditatis
 sequela, quod sub terra tanto aëre con-
 sumpto vacuum statim eveniret.
 Hoc conspexerunt etiam ipsi interpre-
 tes, qui Magistrum suum defendere,
 & ab erroribus vindicare contenden-
 tes reponunt, dictum non intelligen-
 dum esse de toto aliquo Elemento, nec
 de notabili istius parte, sed tantum de
 particulis quibusdam minoribus. Ve-
 rum quocumque his exceptiunculis se-
 vertunt, frustra laborant & nituntur
 contra

contra torrentem; cum maneant eadem absurda, five tota, five partes elementorum transmutentur. Si scilicet pars aliqua aëris converteretur in aquam, introduceretur statim vacuum, cum ob densitatem suam, multo minorem post, quam ante conversionem occuparet & ex 10 partibus aëris vix una guttula aquæ constitueretur. Confer. Inst. Sperl, pag. n. 536. Exerc. pag. 428.

§. IV.

Angves obruto capite postremum cauda minantur, ait Florus: sic Aristoteles, Quamvis ex prioris suæ objectionis nodi, valde ad suæ rationis dictamen, tortilis solutione percepit se longe à vero aberrasse, nihilominus solita sua fiducia fretus insurgit iterum contra nos animose, hoc argumento. *Mare tot fluminibus non sufficeret, cum calore solis maxima pars aquarum evanescat.* Huic opponit sese statim subtilis ille subtilitatum Magister Scaliger, dicens; posteriorem hujus orationis partem infelicem esse, si enim cotidie consumeretur,

con-

consumptum iam esset, mare inquam cum suis fluminibus. *Sufficit vero illis mutua gratie dependence, accepit quod dat; ita 3, tum mare, tum fluvii aqua una continentur, quod solis vi exhauritur, reponitur ab aëre mutato.* Hæc cum à veritate laurum promereant, assensu ea excipimus, nisi, dum ad transmutationem prædictam, extra forum physicum, omnino exterminandam provocat. Pergit adhuc Arist. *flumina nunquam deficerent sicut nec ipsum mare defecit.* Ut paucis ad hoc respondeamus, tum præsto sunt variæ rationes, cur fontes viva (ut ajunt) aqua constantes, quod tamen fit raro, deficient. Interdum enim in causa esse videtur terræ defluxus seu ruina, quam aquis per canales ad fontium officina tendentibus viam intercludere, ut alibi eruptionem quærant, adigere cernimus. Vel sylvarum arborumque nova progenies id effecit. Cum enim arbores, aquam, ut facilius crescant, procurent, evenit ut iis assurgentibus, hausta aqua fontis craterem

rem relinquat, & sylvæ præda fiat. Vel
 ulterius rem nobis expeditam dabit calor
 solaris, qui interdum terram tam sic-
 cam reddit, ut ipsa, antequam erum-
 pant fontes, aut eos absorbeat, aut sal-
 tem iis exituris iter ita præcludit,
 ut aliam intendere viam & exitum,
 quarere cogantur; quæ si adhuc plures
 adessent causæ, nihil tamen contra fontium
 originem possent eæ moliri. Ad ulti-
 mum veluti miles, ad omnes ictus ex-
 positus, quem arma hebetia deficiunt,
 mittit Arist. in castra nostrate lū hoc, *quod*
veritati minime sit congruum, aquam in Oce-
ano salisam existentem, adeò puram ab omni
falsedine reddi. Ad hoc, ut ad primum
 hujus paragr. circumfert quidem cly-
 peum suum Scaliger, sed non sine vul-
 nere. Dicit enim falsedinem esse acci-
 dens quoddam terrestris, percolari Er-
 go, quod manifesto ac quotidiano ex-
 perimēto in litoribus Africæ juxta mare
 constat. Hic taxandus venit Scal. quod
 falsedinem venditet pro accidente solo
 eoq; terrestris; cum revera adsit ipsa fa-

lis substantia à mundi incunabulis, & in primordiali aquarum in telluris alveos deductione mari concreata, quam in transitu per venas diversissimæ constitutionis in interioribus terræ partibus deponit, & per sabulosæ cretaceæq; terræ transcolationem, alium saporem, prout nimirum affecta est parietum qualitas, induit. His insuper affonat, & haud exiguam vim subministrat illud acutissimi Senecæ. *Quod occulto itinere subit terras, & palam venit, secreto revertitur colaturq; in transitu mare, quod per multiplices terrarum anfractus verberatum salsugineum saporem ponit, eumque in tanta soli varietate exiit, & in sinceram aquam transit.* Quamvis tamen nec per omnia concedimus aquam illam fontanam siue lacustrem adeo puram esse, ut omni sale sit destituta; quippe quæ cum maximam præ se ferat puritatem, impura est ratione variarum atomorum, quæ disiunctæ sensum fugiunt, conjunctæ non tantum visu, sed & tactu notantur.

§. V.

Sermonis telam, quam heic orsi fuimus de falsedine maris, pertexeremus, ni tædium forsan pareret, cum nuper elapso anno, hoc argumentum ab alio in hac nostra Academia sit enucleatum. Visum tamen nobis fuerit cum in hunc discursum inciderimus, nonnulla de aquæ gravitate, non ab ipso commemorata, & ut hypothetice loquamur levitate, dicere, præcipue cum experientiam habeamus curiosè observatam, navigia ex fluminibus in mare deducta in aliquot palmos altius ascendisse; ut e. g. cum ex Tybri in mare devolvuntur, notant nautæ navigia erigi, & multo profundius in flumine quam in mari submergi. Cujus rei causa alia non est, quam sal mari commixtum, quod aquas efficit ponderosiores & densiores, unde ei hoc robur accedit ut naves etiam altius sustineat. Plinius antiquus illæ naturæ Scrutator inter alia sua aquarum miracula, candidæ posteritati de lacu Asphaltitico

Palestinæ reliquit, omnia in eum injecta
 fluitare, & non (ut infra dicemus,) licet
 sint gravia, mergi. Huic effectum pla-
 ne contrarium memorat idem de lacu
 quodam Ætiopiæ, in quo, omnia statim
 ac injecta sunt, merguntur, adeo ut
 ne folia quidem arborum sustinere dica-
 tur, sed quidquid eum tetigerit, ab-
 sorbet. Hæc cum multi & antea, &
 adhuc, summa cum admiratione, exce-
 perint prodigia, ad nostram rem haud
 parum faciet causam utriusque hujus
 paulo altius pensiculare. Ubi in in-
 quisiione prioris istius, omnia susti-
 nentis lacus, tanta non occurrit difficul-
 tas, cum cujusvis non ad lucem verita-
 tis caliganti facile liqueat bitumen cau-
 sam adhibere; quo ita refertus est, ut
 etiam ab incolis jure meritoque bitu-
 minosum mare nuncupetur, unde nec
 miramur eum omnia, quæ mole sua
 bituminosa ejus molem non superant,
 sustinere. In lacubus vero non bitu-
 mine repletis, sed sale, tanto inveniuntur
 aquæ potētiores, ad sustinenda gravia in-
 jecta,

jecta, quanto magis prædicto sali fuerint commixtæ, quæ iterum in nonnullis locis bitumini junctæ, tam ponderosæ fiunt, ut navibus transitum prohibeant; uti fama est, de mari lutofo. Difficultatis cardo in eo jam maxime versatur, cui causæ, an levitati, ut quidam sentiant, an alii, effectus posterioris lacus, in quo omnia submerguntur, erit adscribenda. Ad quod, primo levitatem aquæ negantes respondemus, abditiores quasdam causas esse quærendas, quæ unice conspiciuntur, ut dicit Excel. Athan. Kirkerus in vehementia aqvarum, quæ cum sese infundo per subterraneos ductus exonerent, insequuntur hanc exonerationem vortices, quos injectorum corporum attractus insequi necessum est. Vide citati Auctoris Mund. subterr.

§. VI.

Hæc sunt ea quæ jusserunt ac urserunt nos publica Aristotelis dogmata, de generatione aqvarum, averfari. Levis iam superest eorum opinio, qui
 aquæ

aquæ de nubibus in terram projectæ, nivibus, liquefactæque glaciei originem ac perpetuitatem fontium tribunt. Ponuntque loco fundamenti, hujus sententiæ patroni, quod paucissima inveniuntur flumina in his locis, in quibus rari sunt imbres. Ideò fccas esse ajunt Æthiopiæ solitudines, paucosq; notari in interiore Africa fontes. Cum fervida cœli natura sit & fere perpetuo æstiva. Squalidæ itaque sine arboribus, sine cultoribus arenæ jacent, raris sparsæ imbribus. Quos interdum effusos, ipsæ sine mora combibunt. At contra volunt Germaniam, Sveciam, Galliam & proximas ab his regiones abundare fontibus & fluminibus, quia cœlo (ut loquamur cum istis) humido utuntur, ut ne æstas quidem imbribus careat. Hæc proinde est eorum ratio, quam hoc loco excludere etiam potuimus, *ni forsan parva scintilla contempta magnum excitet incendium.* Ne vero ambages sequamur, aggredimur extemplo ipsam rem, dicendo

nos non tam longa verborum serie inficias ire, quin fluvii ac rivi ex aquis pluvialibus, & nimbis istis largissimis, quos procellæ subinde excutiunt possint constitui, cum in multorum montium vertice, aut juxta eum, concava loca notentur, aquis pluvialibus ibidem collectis & paulatim in lacuna veluti stagnantibus referta, ut inde eæ per fissuras montium intra subterraneos crateres insinuatae & augmento abundantes, tandem in flumen erumpant. Idem nec negamus de nivibus liquefactis, cum ipsa Experientia dicat eas in planitiibus, lateribusque montium, tempore hiberno, congestas, solis borealia signa transeuntis calore, nimbisque interdum ac imbris supervenientibus, liquefieri, liquefactas, partim per hiatus terrarum sese intra subterraneas cryptas insinuare, partim etiam confestim undarum suarum volumina, multiplici ramorum diffusionem, per immensas terrarum ambages volvere. Sed an hi torrètes sint perpetui,

jam

jam sub iudice lis est, cum scilicet eorum
 fluxus non ulterius, sed tamdiu, quãdiu
 pluviae ac nivium liquefactio durant,
 pereñat, quibus vero finitis sæpius a flu-
 xu suo, orbato aquis alveo, ut ne mini-
 mum humiditatis vestigium appareat,
 cessant. Hoc videmus etiam tempore
 hyberno, quod planities in stagna sæpe
 evadant ex nivibus & pluviis constitu-
 ta, æstivali vero, in floridissima prata
 & pascua pingvia efflorescant. Unde
 certissime conclusum imus: Si omnia
 flumina eandem agnoscerent ortus sui
 causam, cum his stagnis, collectiis tan-
 tum humoribus, & nivium imbriumq;
 intra plicas montium confluxu colle-
 ctis, sequeretur quod cum illis quoq;
 evanescerent, sed cum contrarium te-
 stetur experientia, firma ac immota
 stat nostra sententia. Præterea evol-
 vuntur sæpissime ex inaccessis & sa-
 xosis montium verticibus fontes, ex
 quibus ingentia derivantur flumina,
 quæ perennem vehunt aquam, & mi-
 nime

nimè ad calorem solis cessantem; quam
 tn. nec è terra ebibile est fingendū, cum
 montium juga sint aspera ac scopulo-
 sa, nullo terræ corio obducta, sed nu-
 da ac rigida saxa habentia. Validif-
 simo, quamvis priora sufficerent, argu-
 mento adstipulatur nobis Romanorum
 sapientissimus Seneca, dum subtilissimè
 disputans docet puteos in locis, ubi in-
 tolerabilis æstus solis omnia accēdit per
 200 vel 300 pedum spatia in altum a-
 ctos, vberes habere venas aquarum, in
 ea altitudine, in quam aqua non pe-
 netret, ut scias ibi, non collectitium
 humorem, sed vivam, quod ajunt, a-
 quam, adesse. Quod ipsemet sequen-
 tibus in *Qvæst. Nat. lib. 3. pag. 709. ver-*
bis comprobat, inqviens: Ego tibi vinea-
rum diligens fossor affirmo nullam pluviam
esse tam magnam, que terram ultra 100 pe-
des in altum madefacit, omnis humor intra
primam crustam consumitur, nec ad inferio-
ra descendit, summam duntaxat humum tan-
gens: Et paulo post. Quæ aut arida absu-
imis.

mit quidquid in se fufum est: aut fatiata, si
quid supra desiderium cecidit, excludit, &
in mare per fluminum alveos devolvit.

CAP. III.

*Thermas seu differentias Aquarum breviter
exhibet.*

§. I.

Mens stupet, hæret animus, torpent
membra cum manus sese accingant
ad describendas differentias aquarum.
Quippe quas quotiens animo volvimus &
quasi in tabella conspicimus, totiens lacum
illum polycriti ingredi videmur, in quæ,
quo altius quis progreditur, eo ma-
gis ac magis per singula pene momen-
ta succrescentibus aquis implicatur. In
his item difficultatibus explicandis
cum ad tempus desudarint antiqui
Philosophi, irrito tandem labore per-
plexi, suam operam nihil quicquam
heic valere ingenue fuerunt confessi.
Hos inter fuit Secretarius iste Natu-
ræ Plinius, qui omnes has differentias
conspicatus, exclamavit: Cunctas quis
mortalium enumerare queat? Quidni
corq

ni cordati formident philosophi, infinitum enim pertransiri non potest. Hisce consentit Philosophorum Ethnicorum phosphorus, sæpius cum laude commemoratus Seneca, dum in primordio sui discursus, de aquarum differentiis ait. Ad rem seriam, gravem, immensam accessimus: faciemus quod in itinere fieri soleat: qui tardius exierunt velocitate pensant moram; sustinemus & opus nescio an superabile, magnum certe sine ætatis excusatione tractamus. Cum ergo hi tantæ sapientiæ Athlantes nihil de se in harum enucleatione polliceri ausi fuerint, ignoscat nobis Cand. Lect. si nec nos voluntati ipsius satisfecerimus. Nam in re tam ardua tamq̃ difficili voluisse fat est.

§. II.

Quemadmodum in humano Corpore, Microcosmo, non tantum sanguis est, sed multa genera humoris, alia *necessarii*, alia *corrupti*, ac paulo pinguioris, in capite *cerebrum*, in ossibus *medullæ*, *muci salivæq̃* ac *lacrymæ*; & quid-

dam additum articulis, per quod citius fluctuantur ex lubrico: Sic in terra & interiorib⁹ ejus fibris, humoris genera per plurima inveniri, judicavit sapiens antiquitas; Ut eo ipso tantum indicaret, non aquas duntaxat, (respectively tamen loquendo) simplices, frigidas, dulces, limpidas, potabiles, quæ viventibus per plurima præbent commoda, inveniri, sed etiam calidas, mixtas seu compositas, quæ ex diversis succis metallicis, reliquisq; mineralium speciebus componuntur, notari. Quarum uti ferme non est numerus, utpote terris infectæ falsæ, nitrosæ, ex calce & gypso, æruginosæ, sulphurosæ, aluminosæ, metallicæ, bituminosæ, mercurio infectæ, ferratæ, lapidescentes & innumeræ, quæ ex harum omnium combinatione nascuntur qualitates, ita nec eas omnes enumerare est animus. Sed cum nonnullas tantum levi brachio attingere decrevimus, primo pauca de aqua calida (cum tantum abest, ut ejus existentiam in dubium vocemus) erunt dicentur.

dicenda. In qua nec minor ac in aliis aquis differentia cernitur, cum scilicet quædam sint tepidæ, quædam ferventes, ita tamen ut tactum sustineant, quædam ita, Pyrophylaciis subitus strenue (ut modo uberiori interpretationis filo explicabitur) naturæ machinationes urgentibus, æstuant, ut injectorum animantium corpora è vestigio depilent, depulpent, exossent, consumant; quædam verò omnes has vires, certis tamen temporibus, obtinere feruntur. Ut Plinius tradat de aqua fontis cujusdam apud Troglodytas, quæ medio die admodum est frigida, confestim verò tepescere incipit usque ad medium noctis, quo fervore & amaritudine infestatur. Et adhuc per plurimos ejusdem conditionis fontes subministrant Physicorum & Historicorum, qui orbem terrarum studiosè perlustrarunt, monumenta. Ut ulterius quasi in transcurso dicamus, apud Garamantas perhibent, quendam tam frigidum esse diebus, ut non bibatur, tam calidum noctibus,

etibus, ut non tangatur. Item quam
 mira varietate fons in medio Ammo-
 nis nemore inventus, alternis vicibus,
 nunc calorem, nunc frigus subeat, vi-
 deatur Curt. l. 4. c. 7. Verum ne cortici
 tantum, horum enumeratione, immorari
 videamur, ad intimiores fontium horum
 causas inspiciendas propius nos con-
 vertimus; & improbando statim eo-
 rum sententiam, qui aërem in terræ
 viscera impulsam & verberatam cale-
 fieri, atque in subterraneas aquas in-
 cumbentem suam illis communicare
 calorem, existimant. Primo quia cum
 aër, ubi viam aqua, qua potest erum-
 pere, habeat, statim evolet, cum te-
 nuior ac subtilior sit quam aqua; seque-
 retur non posse aquas subterraneas diu
 calorem fervare, causa ejus evanescente.
 Secundo quia aër non semper i-
 gnea ista effluvia, è quibus calor pro-
 venit, in se contineat, sed etiam inter-
 dum, ut maxime tempore brumali
 aqua, quò cessarent omnes hæ Ther-
 mæ,

mæ, quod item fenſatæ experientia & naturæ decretis repugnat. His Ergo cum aliorum ſomniis, tamquam à veritatis centro maximè abhorrentibus, miſſis, adſcribimus nos prioris iſtius fontis rationem (ſi alias Plinio hac in re ſit fides habenda) ſubterraneorum meatuum conſtitutioni; quorum prior eſt aqua dulcis, & perenni fluxu, per appropriatum ſibi canalem, uti ceteri dulces fontes impletur: Alter ex Oceano longo viarum tractu ductus, & ignibus ſubterraneis calefactus, conſtitutis horis, in eundem fontem ſeſe exonerat; Cum vero huiusmodi canalis aqua, ut placeat ingenioſiſſimo illi Kirkerø, à maris intumeſcentia & detumeſcentia dependeat, fit, ut ſex aut pluribus horis, fonti ſe paulatim inſinuet, reciprocante vero ſe mari & ipſe fons laxiores habenas adeptus, ſeſe retrahat & à fluxu deſiſtat. Ad amaritudinem vero quod attinet, tum modo erit dicendum, eam à locis nitroſis per quæ, manant aquæ, promanare, quippe dura

pè dum corpuscula hæcce nitrosa à
 quæ commixta paulatim subfidant, &
 àqva limpida prævalescat, pristinae si-
 bi connatae frigiditati & dulcedini re-
 stituitur, quod circa meridiem fieri
 volunt. §. III.

Fontis sic ratione quodammodo e-
 nodata, reliquum est, ut causam aqua-
 rum perpetuo calidarum paucis attin-
 gamus. Et ne tempus iterum in venti-
 landis secus sentientium sententis pro-
 trahamus, rem nostram simpliciter
 confirmamus, aquas istas ex Pyrophy-
 laciorum, quæ variis in locis terra o-
 perta tegit, situ pendere; ita ut si in-
 fra lebetem aquarum, immediate ignis
 subterraneus collocatus fuerit, redditur
 aqua ob vicinitatem ejus, æstuantissima,
 & quanto à prædicto lebete remotior
 fuerit, tanto maj⁹ sui decrementū habe-
 bit æst⁹, usq^{ue} adeo remota fuerit, ut omni
 calore privata, naturalem frigiditatem
 recipiat. §. IV.

Colorum, qui in aquis notantur,
 realium, differentias longiori verbo-
 rum te-

rum tela, hoc loco explicare nolimus; præcipuè cum neminem saniorum scripta feliciter oculis perlustrantem latere existimaverimus, eos non aliunde, quam ex cuniculis seu fodinis, per quas transeunt hæ aquæ, provenire. Verum major occurrit difficultas in inquisitione colorum apparentium, cur scilicet intuentibus mare, ex cacuminibus montium, tantam colorum diversitatem ostendet, in alia parte rubrum, in alia puniceum, in alia flavum, in alia viride, interdum apparere videtur. Hæc valdè distantes extant opiniones, quas omnes dum nos recta iudicii statera, & non inanium opinionum trutina ponderaverimus, maximè eam præ ceteris, acceptavimus sententiam, quæ hos colores non esse reales, sed tantum apparentes; qui ex diversa nubium montiumque reflexione, vel potissimum ex fundi maris varia dispositione resultant, astruit, quippè ubi maris maxima profunditas est, ibi nigrum & veluti piceum colorem repræsentat; Ubi viridi

ridi algarum & pratorum submarinorum pullulatione fundus niteat, viridi colore distingvi videtur, ubi vero arena abundat, ibi rubrum esse dicitur. Hinc facile etiam elucet, quid sit dicendum de Mari rubro, cujus coloris causam, ut quidam pernoscerent, è mari hauserunt aquam in navim, quam cum omnis ruboris expertem esse vidissent, intellexerunt aquas istas non rubras esse, sed colores in iis tantum repræsentari ex arenis rubeis seu coralliis, quibus fundus ejus scatet. Interim tamen non ignoramus Curtium longe aliter lib. f. x. hac de re sentire, quando dicit mari huic, nomen illud, ut dicitur, rubrum, non ut plerique credant, à colore undarum, inditum esse, sed ita tantum ab Ehrythro Rege appellari.

§. V.

Passim cum antea, saporum, qui in aquis deprehenduntur, mentio sit facta, eam heic post tergum relinquimus, nonnulla tantum exponentes ex iis, quæ physicorum & historicorum calam,

lami, suam operam adjuvantes de aquis quibusdam lethiteris, referunt, quarum quædam animalibus, quædam hominibus, quædam utrisq; , sunt noxiæ. Prioris generis sunt omnes charoniæ cavernæ, ad quarum vel primum odorem maximè volucres transvolantes in terram moribundæ decidunt. Quæritur itaque hujus repentinæ ac subitæ mortis Causa : dicimus causam esse vapores ex his aquis ascendentes & tinctura sua aërem infestantes, qui ut in illis spiritus suffocativos producant, ita vitam eis facile adimunt. Contra, nonnullarum aquarum mentionem iniiciunt, quæ homines ceteraq; animantia ad illas accedentia, exceptis piscibus, qui in iis vitæ munere fungi queunt, interimunt, cujus rei ratio alia non est, quam quod pisces adeò venenosæ huic aquæ sint assueti, ut nihil illis detrimenti acceleret; sicut de aliquibus hominibus accepimus, qui, commixtis veneno rebus aliquoties consumptis, contra omnem veneni vim se immunes fecerunt.

fecerunt, venenosis tamen spiritibus adeo pleni ac tumidi fuerunt, ut astantes halitu necarent. Nec heic visum nobis fuit omnino præterire ea, quæ Curtius de fonte, quem stygem incolæ appellant, commemorat. Cujus aqua quamvis nec facie, nec odore sit suspecta, qualia sunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi nisi morte non possunt; in se tamen tam pestiferum virus habere dicitur ut vasa non ex quacunque materia conflata, utpotè vitrea, chrySTALLINA, MURCHINA, LAPIDEA, sed etiam ænea, ferrea, plumbea, stannea, argentea, aurea exurat, & solum ungulæ jumēti patiens fertur, cujus ratio postea reddetur. Hoc venenum aquæ frigidæ commixtum prægustatæ potioni Magni istius Macedonis permiserunt ministri ejus Jollas (ut persequitur prænominatus Historicus) & Philippus, cujus vi, antequam supremum diem clauderet, tantopere cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret. Quæ si ad veritatis centrum
 acce-

accedant, restat tantum ratio, cur un-
gula jumenti absq; damno hanc vene-
nosam aquam sustinere queat. Quæ
procul dubio temperamento ungu-
læ adscibenda venit, quippe quæ ut ab ini-
tio nitrosa excrementa, præter natura-
lem illam pinguedinem, quam in se
habet maximam, calcet, ita in corne-
am quandam materiem concrevit, &
hoc modo peculiari naturæ consilio fa-
ctum est, ut aquis his venenosis resi-
stere valeat.

CAP. IV.

*Postquam sententiarum divortia quæ de flu-
xu refluxuque Oceani possunt haberi, præ-
miserit, veram & genuinam ejus causam,
paucis dare tentabit.*

§. I.

Ripis jam fere superatis flumen o-
mnino tranandū, quod transitu diffi-
cile non spatio solū aquarum, sed & sa-
xis impeditum deprehendimus, cui ne
ferme ignoto caput nostrum permit-
tamus, consultius videtur cymba nostra
litus

litus legat, & per anfractus, insularumq; ostia portum quærat, alta vero tentare rei nauticæ peritioribus relinquat. Et sane (ut proprie loquar) ne videamur supra ætatem viresq; nostras sapere, erimus magis in aliorum recensendis sententiis occupati, quam alias in hujus rei natura definienda. Quod nec cuiquam cordatorum mirum esse videatur, cum nos vix primi simus, quia antea per plurimi è Philosophorum synodo surrexerunt, qui palam suam profiteri ignorantiam non dubitarunt, & magis ad opinionem bonæ existimationis silentium, quam audaciam, conducere, existimarunt. Hos inter aspicere licet gravissimum illum sapientiæ dictatorem Senecam manum porrigentem Scaligero, dicenti: *Quod clamare soleo nos nihil scire, maxime huic disquisitioni convenit, quæ maris motum tractat: animi tamen causa exerceamus nos, idque sine culpa sane. quemadmodum & sine ambitione: Nugæ multæ, multa temeritas, multæ super-*

superstitiones, multa ineptia inter quas &
nostra. Si ideo jam primo Philosopho-
 rum fores pulsemus, ut quid hac in re
 senserint antiqui philosophi indagemus,
 dici vix potest quanta omnium sit
 placitorum diversitas quantaq; opini-
 onum confusio; Certe Oceanum ipsum
 tot æstus volvere non posse arbi-
 tramur, quot hujusmodi mentis cali-
 gine offusi volvunt. Alii utpote Ti-
 mæus & ejus asseclæ, voluerunt causam
 hujus maris intumescentiæ & detume-
 scentiæ, fluminibus per celtarum mon-
 tes in Athlanticum irrumpentibus, quæ
 se protrudendo æstum & inundationem
 inferunt, colligendo retrahunt, attribu-
 endam esse. Apollonio Thianeo pror-
 sus diversa arrisit sententia, qui spiri-
 tibus tum sub mari, tum circa mare,
 anhelantibus, acquiescendum esse pu-
 tavit. Quorundam etiam sunt somnia,
 æstum hunc provenire ex fermenta-
 tione quadam, sed unde illud fermentum,
 valde distantes extant conjectu-
 ræ: quidam referunt illud ad accessum
 recessus

recessumque lunæ, quidam ad ignes subterraneos, quidam ad vapores internos, quibus mare intumescens sese diffundit, detumescens residet; ut in sua philosophia, quam vocat Platonica, loquitur Galeus. Nec desunt illi, qui primo mobili causam imputarunt, è quorum numero extitit Alpetagrius Arabs. Ab quo haud multum discedunt illi, qui primas deferunt lunæ, secundum motum, quo una cum primo mobili, diurna conversione circumvolvitur; Inter cujus sententiæ defensores nomina sua profitentur, Cic. lib. 2. de natura Deor. Plin. lib. 2. cap. 97. Strabo de situ Orbis lib. 3. Alb. M. lib. 2. tract. 3. cap. 6. & per plurimi alii ex vetustate. Præter illud quod Franciscus Vallesius recurrit ad lunam, dicit etiam flatus intra terræ cavernas contentos, nec omnino prætereundos esse, de quibus sic ipse, & quidem acute, ut sibi videtur, disputat: *Proxima itaq; movendi causa maris est flatus intra terra viscera conclusus. Prima vero fortassis duo luminaria,*
que

que generant flatum, & commovent, tamet-
 si & in ipso flatu est movendi causa, que
 aqua pondere subsidens, premit eum, is pres-
 sus erumpit, & violenter extollit aquas, eo
 impetu sedato, rursus aqua subsident, atq;
 ita alternis vicibus agitur utrumq; & paulo
 post. Itaq; harum omnium, que difficilima
 quidem sunt, intra terram videntur habere
 causam. Rogerius Bacco dum hos laten-
 tes naturæ nodos solvere annixus fu-
 it, ratus est lunam, mediantibus ra-
 diis, totum hoc opus perficere: ab il-
 la namque exiliunt radii non tantum
 recti, & sed obliqui, pro diversitate scili-
 cet ejus in quadris. Et radiis quidem
 obliquis existentibus extrahit vapores,
 sed non consumit, indeq; mare illi
 tumidum redditur, & litora mole aqua-
 rum replet; radiis v. rectis median-
 tibus, vapores excitat, & ob suam re-
 ctitudinem consumit, indeq; maris tu-
 mor remittitur. Cujus etiam senten-
 tiæ defensor extitit Johannes Com-
 bachius lib. 2. phys. cap. 111. Bernhar-
 dinus Tillesius, ne ex aliorum judi-
 ciis pen-

ciis penderet, sed aliquam sui cerebri, quamvis ignobilem prolem relinqueret, statuit, mare naturâ calidum, pronum & proclive esse in motum, quo & fervetur & oblectetur Et ne plus justo pati & in vapores abire cogatur, fugit solis motionem, indeque fit fluxus. Refluxus vero causam considerans ad varias se volvit cogitationes demum aperiendo, vaporum copia elapsa, mare residere, haud secus ac lebeti subtracto igne, aqua bulliens in se residet. Nicol. Taurel: una cum Clem. Timper. omnem vim derogat lunæ, putans ipsum mare in interiora terræ viscera sese exonerans, efficere, ut impetu haud exiguo ex litoribus circumquaque aquæ versus voraginem illam contendant. Quippe quâ parte suas mare in terræ capacitates aquas effundit: eâdem ipsum quoque deprimitur: ut undiquaque sese reliqua aqua proripit. *Quæ jam, oppletis terræ cavernis, in unum circumquaque coacta, pro maris amplitudine & aquarum impetu attollitur, & postea*

postea paulatim subsidit, & ad antea derelicta litora regreditur, facta etiam ex fluminibus accessione. Ne quicquam forsitan omitamus, quod in posterum cursum nostrum sufflaminet Scaligeri de hoc æstu maris, verba, varios sermonum flex⁹ habentis, apponimus, quibus omni voto scire expetit, à quo mare movetur. Videt enim illud jura sua tenere, statis temporibus intumescere, & in campos paulo ante siccos descendere superfusum, certis etiam temporibus detumescere, reciprocari, in suum fretum recurrere, & reddere terras paulo ante profundo salo merfas. Aquonam ergo movetur, vult dicere, an à motore interno, an externo? *Solus gravitatis motus internum habet motorem, formam: iste autem cum sit ex contrariis motibus compositus: ipseque in se diversus, atque etiam cessans, si est ab intimo principio jam mare animal est. Sola namque anima, quanquam ne ea quidem omnis, multiplex motor est. Quod si animal non est, extrinsecus ejus motus hic accidit. An vero hic omnis? ita dico, omnis*

id est segnior ocior procurfus, recursus &c. Heic videtur Scaliger, ubi scilicet dicit mare non posse habere motus sui principium internū, nisi sit animal, sequi vestigia Stoicorum, qui perperam finxerunt mare animal esse, quod mente ac spiritu vivit; habereque in profundis Oceani nares per quas emissi anhelitus, vel reducti, modo inflent mare, modo revocent. Athanasius Kirkerus mirificos hos effectus videns pollicetur, ut â nemine antea fuerint inventi, se illos demonstraturum. Et quidem 1. exposcit, ut animis legentium firmiores radices agant ea, quæ de miro illo consensu, inter astra, præcipue vero lunam, & Terraqueum globum qui ex analogia utriusque temperamenti oritur, asserit. 2. repetit in quo consistit similitudo hæc, & in quo conveniunt, nempè ut sale, nitro aliisque bituminosis corporibus scateat mare, ita eandem constitutionē & lunā obtinere, non nisi experientia convictus dicit 3. Conclusionem format, nullam aliam causam es-

fam esse, secundum quam mare move-
tur, quam qualitatem quandam flatu-
osam, ad similitudinem Globi Terraquei
nitrosam, quæ tempore lunæ ita tempe-
ratur, ut quam primum luna radios su-
os in mare diffundat, dilatat illud &
tumefacit. Vid. Viri prædicti Mund.
subterran. lib. III. c. II.

§. II.

Hæc fuerunt varia, tam antiqvi-
tatis, quam nostræ ætatis, quæ de hoc
æstu marino, circumferuntur iudicia,
quibus ut minus vero consentaneis, no-
stram debemus opponere sententiam.
Et quamvis non unam difficultatem
adesse cognoscamus, *viam* tamen for-
san *inveniemus, si solerter rimati fuerimus*
aditus ad cacumen ferentis. Tentemus
proindè primò causam hujus intume-
scentiæ & detumescentiæ maris, lunæ,
tamquam Causæ efficienti ac pro-
ximæ adsignare. Quippè quæ ut à
multis humorum Domina nuncupatur,
ita etiam humidis corporibus præest,
& unicè quasi Dominatur. Testatur i-

tem hoc Experientia curiosè observata, quod tempore lunæ novæ, aut plenæ, crescant non tantum animantium in terris viventium medullæ in ossibus, humores in corporibus, sed etiam in ipso Oceani fundo, turgescunt conchilia, pingvescunt cancri, ut cetera taceamus; Eadem vero decrescente, diminuantur istæc, & non leve patiuntur detrimentum. *Ligna, luna plena aut crescente decisa, cariem sentire & ad exstruenda ædificia inepta esse; decrescente vero dejectas arbores carie minus ledi,* loquuntur artifices. Jam præterimus ipsorum hominum corpora, quæ in plenilunio variis mutationibus sunt obnoxia, Unde illud quod lunatici furiant, podagrici plus solito torqueantur, hydropici sæpissimè tunc morte premantur. Quæ quamvis jam ita sint, ut dicamus lunam peculiare quoddam, supra res humidas, dominium possidere, eo ipso tamen ei non deferimus totam rem, in hac tractatione æstus, sed etiam ex parte, ceteris astris ac maxime soli, quibus tanquam causis

causis remotis ac dispositivis hūc æstum tribuimus. Nam etsi hic fluxus majori ex parte sequatur periodos lunæ, secundum ejus motum diurnum, qui ut in quatuor est divisus, juxta quatuor cæli portiones, quarum quatuor existunt puncta, videlicet ortus & occasus, vertex diei & noctis: ita quater singulis diebus naturalibus cietur mare, bis fluendo, bis refluxo, semperq; sex horas, si alia impedimenta non interveniant in affluxu, sex etiam in refluxu servans; nihilominus deprehendimus pro alio atque alio lunæ ad Solem positu & aspectu, virtutem ejus interdum diminui, interdum augeri, adeo ut hoc modo nunc magis, nunc minus, intumescat mare. Et quomodo maximo cum impetu & ubertate hæc intumescencia eveniat, cum luna oppositioni aut conjunctioni propior fuerit, non vero item quando ad quadras accedat, videatur Ant. le Grand. Hist. Nat. pag. n. 187.

§. III.

Superiori paragrapho dicta, causas fluxus refluxusque maris externas unice concernebant, quibus interna iam restat addenda. Quippe cum motus hic sit naturalis, non solum externum, sed & internum habet principium, quod est ab ipsa essentia, secundum quam, aqua marina, cursum lunæ, ut ferrum magnetem, comitatur. Scaliger, ut satis liquido ex parag 1. hujus cap. constat, motum hunc omni modo destruere annexus fuit. Verum cum ille sic ingenii vires periclitetur, insurgit contra illum Basso existimans eum in vauitatum curia, vana excogitare dicteria, fucas glomerare facetias, & monstrosa cudere dogmata. *Si est ab intimo principio, vult dicere, hic motus, jam mare animal est.* Egregia mehercule consequentia? *Vinum in dolio bulliens ab interno movetur principio, motu ex contrariis composito. Ergone vinum animal est.* Plura videre qui placet, adeat & audiat Eximium illum Senecam, qui, ut solet,

solet, ad hanc rem alte & apte in quæst:
suis natur. p. 717. differit.

§. IV.

Sollicite magis quam prolixè, causis
tam internis, quam externis æstus
marini huc usque evolutis, contra has
Theses nostras generales insurgere,
quis posset, quærendo cur non ma-
re Balthicum, Caspium, nonnullaque
alia intumescendo & detumescendo ce-
terorum fluxum sequantur? Cui Resp.
varia, quæ effectum horum morantur,
eminere repagula. Inter quæ notam⁹
primo, in consideratione prioris isti-
us maris nempe Balthici, angustiam
alvei, ob quam, sufficientem lunæ im-
pressionem, suscipere nequit; cum ac-
tio, juxta canonem, recipiatur non tam
ad modum imprimentis, quam ad mo-
dum receptivitatis suæ. Hoc item re-
ctissime ostendit in sua Hist. Naturæ
Anton. le Grand. dum dicit in hoc ma-
ri nullam reciprocationem fieri, pro-
pter interiacentes insulas, quæ maris
æstam

æstum arcent ac turbant, ob loci angustias, quæ aquas exspatiari non sinunt, & ultra solitum sensibilibiter provehi. Hoc deinceps repagulum insequitur ejus situs, quod nimis sit septentrionale, unde cum luna in illud radios suos diffundat, dissipatur vis eorum, cum minus sint recti, & nimis obliqui. Ultimo claudit, ex observatione nautarum inexplorabilis ferme ejus profunditas, quæ non minus quam cetera fortiorem impedit impressionem; unde rectè inseruit etiam Tract. phys. & pag. 499. Jacob. Rohaltus. Quod quidquid aquarum in eo possit moveri, exigui est momenti, proportionem habita ad profunditatem & vastitatem istius maris. Quid de mari Caspio erit statuendum, ex his etiam facile patet. Una tamen ratio, præter ingentem & immensam fere ejus profunditatem, absentiam scilicet falsedinis (quam satis probant incurrentia 80. flumina, quorum humore infuso haud difficulter mitescit ejus aqua) addenda venit. Nam secundum

cundum quorundam sententiam intumescit præcipue aqua marina, calefacta a sole interdiu, à luna noctu, vi falsedinis. *Et cum in omni humore sit spiritus, copiosior ac potentior est in salso humore. A quo igitur scilicet spiritu, ut à principio proximo est hic motus, utpote aliis copiose, & potentiore.* Vide Schragmuller's Coll. phys. p. n. 158.

§. V.

Ulterius obiiciat quispiam de fontibus nonnullis, à nobis quærendo, cur quidam eorum, aliquibus in locis per canales hydragogos, ad fluxum refluxumq; maris augmentur & diminuuntur, cur vero non omnes? Cui iterum Resp. Causam primo esse quærendam in commoditate locorum, per quæ istis fontibus hic fluxus ab Oceano communicatur. Ut E. grat. si canales subterranei fuerint expediti, ampli, rekti, aut aliam habuerint aptitudinem ad motum maris uniformiter recipiendum, mirum non est, eos juxta leges æstus marini, constitutis horis, exundare.

dare. Alii vero fontes contrario modo se habent, cum scilicet aqua eorum, per poros ac cuniculos angustos, declines & tortuose inflexos & procul distantes, cum mari jungatur. Dum tamen hæc dicimus, non exclusum im⁹ eorum minime spernendarum rationum momenta, qui hos fontes, omnia etiam flumina & lacus nullam reciprocationem ex eo pati volunt, quod latera eorum non satis ab invicem distent *minorq; sit eorum superficies, ut in unam partem magis quam in aliam, à materia celesti premi queat.*

§. VI.

De fluvio Euripo qui incertis undis defluere, & septies quocunq; die naturali in Egeo sinu motus suos recipere fertur, nonnulla, ut quasi in transcurso dicamus, tum sane ob differentes, perplexas & intricatas philosophorum, de hoc, opinioniones, potest vix aliquid certi, hoc loco statui. Quidam enim hujus existentiam in dubium vocantes clamant, quidquid de eo ab antiquita.

tiq̄uitate memoriæ sit proditum, esse purum quoddã figmentum, quod vel ex fabulosis narrationibus, vel hominum simplicitate, vel superstitione gentium originem traxit: Ab hac sententia haud multum discedit Titus livius dum in lib.8. dicad. 3. ait. *fretum illud Euripi, non septies in die, sicut fama fert, statis temporibus recipecat; sed temere in modum ventis, nunc huc, nunc illuc versus mari, velut monte precipiti delapsus torrens rapitur, ut nec die, nec nocte quies navibus detur.* Quidam vero antiquitatis amantes, referunt fluxus hujus causam in interpositionem lunæ, cujus pressione fluvius defluit, non in unam mundi partem, uti cetera maria, sed quoquo-versum: Adeo ut pars una in cæciam, alia in Boream, alia ad austrum feratur, quæ prout in freti angustias, aut litora incidentia inciderint, refluxus datur aut retardatur. Quidam proporro causam adsignant fluctibus e latissima maris Ægei effusione in angustias compulsis, qui insularum cycladum

cycladum multitudine ac obice refunduntur ac quasi circulo redundant. Ulterius fingunt insulam ita esse constitutam, ut sub ea habeantur ingentes fossæ atq; cavernæ, per quas præcipitans fursum, invento obice regurgitat, varioq; impulsu accessus recessusq; multiplicat. Vide Coll. Conimb Tract. *ix.* Cap. *ix.* in lib. 2. Meteor. Hi sunt intricati isti labyrinthi, quos in primordio, circa hoc tam controversum negotium occurrere diximus, ex quibus ut nos, arrepto Ariadneo filo, deducamus, & ab erroribus deviisq; tramitibus tutos securosq; conservemus, relinquimus cuiquam suam sententiam, contenti saltem nos eas non ignorare.

§. VII.

Pari porro simplicitate, attendimus præter antea dicta, uno vel altero verbo nonnulla impedimenta, quibus maria, ut non semper æqualem obtineant fluxum, retardantur. Utpote primo inconstantiam cursus lunæ, quæ non eundem servat punctum, sed ab eo, quo egre-

egreditur uno die, declinat altero. Deinde nec parum ad ea facit varia Oceani fundi dispositio, cum dispari continentium, terrarum, insularum obviarū, litorum, promonteriorum constitutione, ventorum & Spirituum subterraneorum, nec non fluminum ingentium violenta irruptione. Quæ omnia ulterius essent persequenda, sed iam spectat ad clausulam manus. Interim ut habita temporis, quo me studiis Academicis devovi, ratione, aliquid de strictiore censuræ rigore remittas, & pedem tuum, ab eorum vestigiis, qui non contemnere duntaxat, quæ cum virtute fiunt, laborant, sed quæ ad honestatis etiã regulam facta, vel audiunt, vel vident, verborum ludibriis, siquidem aliter non possunt, velut iniecta caligine, opprimere conantur, retrahas

Cand. lector, jam in calce ut initio etiam atque etiam
 rogitō.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Eximie Dn. Respondens,

Quemadmodum radiorum corruscans splendor ostendit quanta sit illa fulgoris & claritatis gloria, quam habet ipse sol, beata illa universe nature gratia, passimq; fluitantes rivuli fontis sui commendant suavitatem; haud aliter admiranda Dei opera in hoc mundi amphitheatro, hoc agunt, hoc curant ut ipsius majestatem, potentiam, nec non beneficentiam sonora quasi buccinà decantent, extollantq;: nam profecto ut certo certius constet, quisq; obrutus tantæ majestatis splendore de seipso fateatur, quod solent ij, qui solem defixis oculis intueri non possunt, sustinent radios per nubem emissos, mentem quidem Deus illuminat, sed mentis celeritatem atq; subtilitatem prætervolat, pectus accendit, sed ipse pectoris angustiis non capitur; Ingenium proinde velox, & pectus virtutis ferax, ad miras hasce res, quæ à miro isto Deo mirabiliter laudantur in hoc rerum humanarum circulo, potius confugit ut subtili judicio rerum abditarum causas & naturam miretur, quod pectus exaturer, & est jucundum animi pabulum: verum cognitionis nectâr, quod tanquam balsamum salutare honorat, collectum ex profundissimis subti-

subtilium animorum thesauris, digestumq; ex
optimis sapientum præceptis, quæ cognitionis
distinctionem amant, ut lapidem lydeum, exa-
men & libram veritatis; Hanc qui sumunt ve-
ritatem in rerum naturalium cognitione, ut
facilius omne claudum, cæcum & vacillans
evitent, ad dominam illam Scientiam Natu-
ralem, tanquam beneficium aquarum flumen
accurrunt, suavissimum animi potum hau-
sturi. Quod quam vere tibi convenit, ami-
ce perdilectæ ostendit materia subtilitas, tot na-
turæ nodis intricata, nec non labyrinthis dif-
ficilis, quam tibi elegisti perfusus admirando
aspectu faciei Geocosmi, memorabilem ubiq; o-
stentantis amœnitatem, ibi decenter surgunt
connexi montium ordines, hic se demittit cam-
porum ferax planities, quam aquarum limbus,
partibus terrestribus circumfusis, venis flu-
minum distinguit, quibus non solum, sed etiam
cælo, tanquam mater fœcunda aquas præbet
largas, in suis tamen semper cursibus totus
atq; integer est; quanta heic admirationis ma-
teria, quanta gloria, quantaq; gratia propter
varia illa naturæ spectacula profundaq; mi-
racula, quæ omnia recensere solius Dei opus sit,
qui numerat multitudinem stellarum. Quæ
cum

cum jam ita sint, dignus es amore, dignus fa-
dore, dignus laude, quæ tanta est ut vix ac ne
dix quidē a me satis proferri potest, cum te non
absterruit materia difficultas, nec turbarit ille-
cebrarum /vavitās, quæ sæpe ne dicam moram
nectit, sed remoram objicit propositis (si quæ
honestæ sint) eorum, quibus dies non ad votum
actus sit, nisi cum desudarint, quippe qui cū sole
volūtur, cū luna aguntur, cū fixis herent, cū er-
raticis errant, sublata cujusvis honesti conatus
anima, ipsa virtute, velut frigore quodā cōdensa-
ta. Sed hic cūctæ honestè cūctæ egregiè, cūctæ
eruditè aguntur, perficiantur, quid multis dicā?
loquitur pro me erudita hæc disputatio, proprio
marte consignata, quod certe non ita miror, cum
me non lateat nec familiæ tuæ splendor, qui te
animavit, nec illibata illa paternitas, quæ exsti-
mulavit, nec speciosa illa virtus, nec nitida eru-
ditio, quæ laudabili huic operi addidere robur,
momentum, nervos; gratulationem proinde ef-
fundo magnam candido pectore, pia mente, sin-
cero animo, & profectò quo charior mihi es, eo
clarior fulget gratulationis ille fervor, quia in
studiis profectum, profectus favorē, favor lau-
dē tibi apportavit, decantatus diligentia nitor!
Vale!

BENEDICTUS Ulholmi.